[illegible]

[illegible] S. LUDOVICI NOMINE

NUNCUPATUM

IN HONOREM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

LUDOVICI III

MAGNI DUCIS HASSIAE ET AD RHENUM

CIVIBUS

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

OMNI QUA PAR EST

OBSERVANTIA ET REVERENTIA

CELEBRANDUM

RECTOR CUM SENATU

INDICIT.

INEST LUDOVICI LANGII COMMENTATIONIS DE LEGIBUS PORCIIS LIBERTATIS CIVIVM VINDICIBVS PARTICVLA PRIOR.

GISSAE.

TYPIS GEORGII DANIELIS BRUEHLI TYPOGR. ACAD.

MDCCCLXII.

Leges Porcias tres fuisse trium Porciorum Cicero eo libri secundi de re publica loco testatus est, ubi P. Cornelium Scipionem Aemilianum de P. Valerii Publicolae in rem publicam Romanorum post Tarquinios expulsos meritis disserentem induxit. Verba Ciceronis, quae accuratissime consideranda et perpendenda erunt, sunt haec (2, 31, 53—55): *Hac mente tum nostri maiores et Conlatinum innocentem suspitione cognationis expulerunt et reliquos Tarquinios offensione nominis. Eademque mente P. Valerius et fasces primus demitti iussit, cum dicere in contione coepisset, et aedis suas detulit sub Veliam, postea quam, quod in excelsiore loco Veliae coepisset aedificare, eo ipso, ubi rex Tullus habitaverat, suspitionem populi sensit moveri. Idemque, in quo fuit publicola maxime, legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret. Provocationem autem etiam a regibus fuisse declarant pontifici libri, significant nostri etiam augurales, itemque ab omni iudicio poenaque provocari licere indicant XII tabulae conpluribus legibus, et, quod proditum memoria est, X viros, qui leges scripserint, sine provocatione creatos, satis ostenderit reliquos sine provocatione magistratus non fuisse: Lucique Valeri Potiti et M. Horati Barbati, hominum concordiae causa sapienter popularium, consularis lex sanxit, ne qui magistratus sine provocatione crearetur. Neque vero leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum, ut scitis, quicquam praeter sanctionem attulerunt novi. Itaque Publicola lege illa de provocatione perlata statim securis de fascibus demi iussit postridieque sibi collegam Sp. Lucretium subrogavit suosque ad eum, quod erat maior natu, lictores transire iussit: instituitque primus ut singulis consulibus alternis mensibus lictores praeirent, ne plura insignia essent inperi in libero populo quam in regno fuissent. Haud mediocris hic, ut equidem intellego, vir fuit, qui modica libertate populo data facilius tenuit auctoritatem principum. Neque ego haec nunc sine causa tam vetera vobis et tam obsoleta decanto, sed inlustribus in personis temporibusque exempla hominum rerumque definio, ad quae reliqua oratio deregatur mea.*

Cum in ceteris omnibus et Ciceronis [1]) et aliorum scriptorum [2]) locis singulari numero lex Porcia dicatur neque ullo loco significetur, quam trium illarum legum scriptor ante oculos habuerit — id quod aut cognomine rogatoris legis aut numero ordinali vel adiectivo temporali adiecto significari potuit —, cum igitur sine dubio leges tres quasi pro una lege habitae sint, primum oritur quaestio, qui fieri potuerit, ut tres leges Porciae in unius legis speciem abirent. Nam vel Ciceronem veri simile est eo tempore, quo orationes in C. Verrem et pro C. Rabirio haberet, nondum accuratiora de tribus trium Porciorum legibus Porciis scivisse, sed didicisse haec eo demum tempore, quo, cum consilium librorum de re publica scribendorum cepisset, accuratiora de antiquitate Romana studia faceret. Si enim iam antea scivisset, si omnino satis nota fuisset res hominibus aetatis Ciceronianae, nulla profecto causa erat, cur Cicero Scipionem Aemilianum de tribus trium Porciorum legibus in transcursu docentem faceret. Quod autem Scipio apud Ciceronem verba *ut scitis* adicit eis, quae de legibus Porciis docet, inde non sequitur rem revera fuisse notam, sed secundum consuetudinem eorum verba illa adicit Scipio, qui, cum doceant alios, speciem illis molestam evitare cupiunt, quasi doctiores se esse arbitrentur quam illos.

Quaestionem illam, quam modo proposuimus, ne movere quidem nedum solvere poterant ei viri docti, qui ante libros de re publica repertos de lege Porcia egerunt [3]), quorum de lege Porcia commenta vel propter hanc causam nunc haud ita magni momenti posse esse patet. Qui autem postea de legibus Porciis commentati sunt [4]), ei quaestionem illam aut omnino non attigerunt, aut ita solvere

1) pro C. Rab. perduellionis reo 3, 8. 4, 12. 13. in Verr. 5, 63, 163 (exscriptus a Gellio noct. Att. 10, 3, 13).

2) Liv. 10, 9. Sall. Cat. 51, 22. 40. Pseudo-Sall. in Cic. 1, 5.

3) Io. Ulricus Zasius, catalogus legum antiquarum. Argent. 1551 (Lutet. 1555). Paulus Manutius, de legibus Romanis. Venet. 1557 (Graevii thes. vol. II. p. 1075. 1086). Franc. Hotomannus, antiquitatum Romanarum liber primus, leges cet. continens in Comm. verb. iur. antiq. Basil. 1558 (Opera 1600. III. p. 228). Carolus Sigonius, de antiquo iure civium Romanorum. Venet. 1560. lib. 1, 6 et 15 (de antiquo iure populi Romani libri XI. Hal. 1718. I. p. 87 sq. p. 187 sq.). Antonius Augustinus, de legibus et senatusconsultis liber cum notis Fulvii Ursini. Rom. 1583 (Graevii thes. II. p. 1252). Pighius, annales Romanorum. Antv. 1615. Tom. II. p. 255 sq. Franc. Car. Conradus, ius provocationum ex antiquitate Romana erutum. Lips. 1723. §. 18. (Conradi scripta minora ed. a L. Pernice. Vol. I. Halis 1823. p. 24). Ernesti in indice legum clavi Ciceronianae inserto. Hal. 1739 (ed. IV. 1777. p. 34), cuius verba repetita sunt in indice legum Schuetzii volumini XX. editionis operum Ciceronis (Lips. 1821) inserto p. 278 sq. Hausotter, historia legum Romanarum. Lips. 1751. p. 60. Dukerus ad Liv. 10, 9. et ad epit. 57. in editione Drakenborchii. Lugd. Bat. 1738—46 (Stuttg. 1820—28). Non loquuntur de lege Porcia Paulus Merula, de legibus Romanorum (Lugd. Bat. 1684), et M. Ant. Ferratius in epistolarum libris sex (Venet. 1738). — Godelevaei observationes ad Livium (Francof. 1619), quas citavit Eisenlohr (p. 18) nancisci non potui.

4) Baiter in indice legum Romanarum, qui octavo volumini operum Ciceronis ab Orellio editorum (Turici 1838) insertus est, p. 251 sq. Rein in indice legum

conati sunt, ut in eis, quae statuerunt, nullo modo acquiescere possimus. Poterant sane leges Porciae tres pro una haberi, si lex vetustissima Porcia legibus recentioribus Porciis mere repetita et civium memoriae inculcata esset; sed cum per se non est admodum probabile legem adeo popularem ita in oblivionem abiisse, ut bis civium memoriae inculcanda esset, tum alia difficultas oritur ex illa quaestionis solutione, siquidem iam primam legem Porciam sanxisse, ne cives extra Urbem in Italia et provinciis degentes a magistratibus Romanis necarentur neve verberarentur, statuimus. Quod sine dubio statuendum esset, si posteriores leges Porciae duae primam tantummodo repetivissent, quoniam hoc ipsum in lege Porcia, quam singulari numero dicit, infuisse Cicero aliis locis testatur (v. p. 7). Difficultas scilicet in ea re sita est, quod, si lex Porcia prima talis fuisset, Ciceronis verba illa, quibus leges Porcias ad leges Valerias praeter sanctionem quicquam novi attulisse negat, vix explicari possent; reticuisse enim diversitatem argueretur, in qua, ut primo oculorum adspectu quivis animadversurus fuit, summa discriminis legum Porciarum et Valeriarum constare visa esset. Iam vero etsi singulis legibus Porciis diversa praecepta attribuenda sunt, apparet tamen diversitatem trium legum Porciarum inter se minorem esse debere quam similitudinem; alioquin pro una lege haberi non potuissent. Longius in solvenda quaestione de tribus legibus Porciis pro una habitis nunc progredi non possumus; ad quam revertemur, si alterius illius difficultatis, quae ex Ciceronis loco oritur, solvendae rationem proposuerimus. Hoc tamen vel nunc quivis intelleget, legum Porciarum inter se diversitatem non potuisse esse eam, quae impedimento sit, quo minus omnes tres ad idem genus

Romanarum encyclopaediae Paulyanae. Vol. IV. (Stuttg. 1846) p. 992 sq. Göttling, *Geschichte der römischen Staatsverfassung* (Halis 1840), p. 427 sq. Drumann, *Geschichte Roms*, Vol. V. (Regiom. 1841) p. 95. 102. 508. 577. Rubino, *Untersuchungen über römische Verfassung* (Cass. 1839), p. 438, not. 1. p. 489, not. Walter, *Geschichte des römischen Rechts* (Bonn. 1860. 61), Vol. I. p. 147. II. p. 484. Rudorff, *Römische Rechtsgeschichte* (Berolin. 1857), Vol. I. p. 25. Marquardt, *Handbuch der römischen Alterthümer*, Vol. II. part. 3 (Lips. 1849). p. 149, not. 605. Eduardus Platner, quaestiones historicae de criminum iure antiquo Romano (Marburg. 1836), p. 64 sq. Gust. Geib, *Geschichte des römischen Criminalprocesses* (Lips. 1842), p. 157. de Jonge, de delictis contra rem publicam admissis (Trai. ad Rhen. 1845), Vol. I. p. 310 sqq. C. T. Zumpt ad Ciceronis Verrin. (Berol. 1831) lib. V. cap. 63, p. 978, et in commentatione: *über die persönliche Freiheit des römischen Bürgers und die gesetzlichen Garantien derselben,* quae inserta est commentationibus philologorum Darmstadiam congregatorum (Darmst. 1846), p. 21 sqq. imprimis p. 34 sqq. Woeniger, *das Sacralsystem und das Provocationsverfahren der Römer* (Lips. 1843), p. 296 sqq. Laboulaye, essai sur les lois crimin. des Rom. Paris. 1845. p. 93 sqq. Eisenlohr, *die Provocatio ad Populum* (Schwerin 1858), p. 16 sqq. Th. Mommsen, *Geschichte des römischen Münzwesens* (Lips. 1860), p. 526. 552 sq. Qui scriptores quid recte, quid minus recte de legibus Porciis proposuerint, per singula quaestionis intricatissimae momenta persequi nolui, quoniam parum inde fructus ad ipsam rem, quae ex fontibus disceptanda est, redundare vidi. Non fuit mihi praesto: Hullemann, de legibus libertatis civilis vindicibus. Ultrai. 1837.

legum referantur. Quare sine dubio erraverunt solvendaeque difficultatis viam sibi praecluserunt, qui unam solam aut duas ad summum leges Porcias legibus de provocatione adnumerarunt, duas aut unam non adnumerarunt. Omnes tres leges Porciae leges de provocatione aut sunt aut non sunt.

Iam quoniam demonstravimus, qua ratione Charybdis vitari possit, eodem modo demonstrandum nobis erit, qua ratione Scyllam illam in Ciceronis verbis latentem, quam modo significavimus, effugiamus. Maxima enim difficultas inde existit, quod Cicero *tres leges Porcias quicquam praeter sanctionem attulisse novi* ad leges Valerias negat. Errasse Ciceronem in eo libro, ad quem perficiendum vel libros pontificios et augurales perscrutatus erat, nemo sanus contenderit; de industria autem prorsus falsa dixisse Ciceronem cur statuamus nulla causa est, cum legum Valeriarum praestantiam quavis laude ornare potuerit, etiamsi leges Porcias praeter sanctionem novi aliquid attulisse concedere debuisset. Summum quod eis, qui Ciceronis auctoritatem hac in re vilipendendam esse censent, largiri possumus, hoc est, ut eum parum plene de legibus Porciis exposuisse dicamus, ita tamen, ut ea, quae dixerit, ratione habita eius consilii, quod in comparandis legibus Porciis cum Valeriis sit persecutus, prorsus vera sint. Atqui constat non ex aliorum solum, sed etiam ex ipsius Ciceronis potissimum testimoniis legem Porciam re vera aliquantum novi ad leges Valerias attulisse; necesse est igitur novum hoc ita comparatum sit, ut iure quodam ipsa legum Porciarum sanctione, qua a Valeriis legibus diversas fuisse dicit Cicero, comprehensum esse videri possit, siquidem Ciceronem aut erroris aut falsi testimonii crimine aut lata negligentiae culpa liberatum esse volumus.

Videamus igitur ante omnia, quale tandem fuerit novum illud, quod lex Porcia ad leges Valerias praeter sanctionem attulisse videatur. Lex Valeria prima, ut ait Cicero, sanxit, *ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret* [5]. Lex Valeria secunda (Valeria Horatia), anno 305. u. c. lata, sanxit, ut ait idem Cicero, *ne qui magistratus sine provocatione crearetur,* vel ut Livii (3, 55) verbis utar plenioribus: *ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet: qui creasset, eum ius fasque esset occidi, neve ea caedes capitalis noxae haberetur* [6]. Lex Valeria tertia, a M. Valerio Corvo Maximo anno 454. u. c. lata, ita comparata erat, ut Corvus *legem de provocatione diligentius sanctam tulisse* Livio

5) Vid. Liv. 2, 8. 30. Val. Max. 4, 1, 1. Dion. 5, 19. 70. 6, 43. 58. 7, 41. 52. Plut. Popl. 11. Dig. 1, 2, 2, 16. Cic. Acad. pr. 2, 5, 13. Cf. compendium meum antiquitatum Romanarum (Berolin. 1856), Vol. I. p. 428.

6) Cf. ibid. I. p. 469.

(10, 9) videretur [7]. Provocatio autem illa, cuius ius civibus Romanis legibus Valeriis concessum confirmatumque erat, *non erat longius ab Urbe mille passuum,* quae sunt ipsius Livii (3, 20) verba [8].

At lex Porcia magistratus Romanos etiam in Italia et in provinciis prohibebat, quo minus cives Romanos necarent aut verberarent. T. Atius Labienus tribunus plebis anno 691. u. c. C. Rabirio perduellionis reo inter alia etiam hoc crimini verterat, quod — nescimus quem tum magistratum gesserit — cives Romanos in Apulia et Campania verberasset et necasset, qua de re Cicero (pro C. Rab. 3, 8): *An de servis alienis contra legem Fabiam retentis aut de civibus Romanis contra legem Porciam verberatis aut necatis plura dicenda sunt, cum tanto studio C. Rabirius totius Apuliae, singulari voluntate Campanae civitatis ornetur?* Quo referenda sunt etiam ea, quae postea Cicero dicit (4, 13): *Tu mihi etiam legis Porciae, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cuiusquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modo suppliciis inusitatis, sed etiam verborum crudelitate inaudita violare libertatem huius populi, tentare mansuetudinem, commutare disciplinam conatus es?* [9]. In Sicilia provincia legem Porciam ipse Cicero violatam esse significat a C. Verre, qui, cum praetor in Sicilia esset, P. Gavium, civem Romanum municipem Consanum, Messanae in foro medio nudari ac deligari et undique vehementissime verberari, deinde in crucem agi iusserat. Rem ipsam postquam Cicero cum vehementissima miseratione narravit, exclamat (in Verr. 5, 63, 163): *O nomen dulce libertatis! o lex Porcia legesque Semproniae!* Neque vero in sola Sicilia sed in omnibus provinciis magistratus eadem lege Porcia teneri

7) Tertiam legem Valeriam praeterea omnia ea comprehendisse conicio, quae de provocatione aliis legibus, veluti lege Aternia Tarpeia, Menenia Sextia, compluribus XII tabularum legibus, plebiscito Duilio, lege Iulia Papiria sancta erant.

8) Cf. Dig. 50, 16, 154 *mille passus non a milliario urbis, sed a continentibus aedificiis numerandi sunt.*

9) Itaque non est dubitandum, quin C. Sempronii Gracchi verba, quae a Gellio (noct. Att. 10, 3) servata sunt, ad legem Porciam neglectam spectent, quamquam ea non nominatur. Narrat enim Gellius: *Legebamus adeo nuper orationem Gracchi de legibus promulgandis, in qua M. Marium et quosdam ex municipiis Italicis honestos viros virgis per iniuriam caesos a magistratibus populi Romani, quanta maxima invidia potest, conqueritur. Verba haec sunt, quae super ea re fecit: Nuper Teanum Sidicinum consul venit. Uxor eius dixit se in balneis virilibus lavari velle. Quaestori Sidicino a M. Mario datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur. Uxor renuntiat viro parum cito balneas traditas esse et parum lautas fuisse. Idcirco palus destitutus est in foro eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo M. Marius. Vestimenta detracta sunt, virgis caesus est. Caleni ubi id audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet, cum magistratus Romanus ibi esset. Ferentini ob eandem causam praetor noster quaestores arripi iussit: alter se de muro deiecit, alter prensus et virgis caesus est.* Neque enim quicquam obstat, quo minus M. Marium certe civem Romanum fuisse statuamus, et Gellius ipse infra similem dixit causam ei, in qua *apud M. Tullium cives Romani contra ius contraque leges virgis caeduntur aut supplicio extremo necantur.*

testatur Cicero, cum mox dicit (in Verr. 5, 65, 167. 168): *Homines tenues, obscuro loco nati, navigant: adeunt ad ea loca, quae nunquam antea viderunt, ubi neque noti esse iis, quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt. Hac una tamen fiducia civitatis non modo apud nostros magistratus, qui et legum et existimationis periculo continentur, neque apud cives solum Romanos, qui et sermonis et iuris et multarum rerum societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrantur: sed quocunque venerint, hanc sibi rem praesidio sperant futuram. Tolle hanc spem, tolle hoc praesidium civibus Romanis: constitue nihil esse opis in hac voce, Civis Romanus sum: posse impune praetorem aut alium quemlibet* (scil. magistratum) *supplicium quod velit in eum constituere, qui se civem Romanum esse dicat, quod eum quis ignoret: iam omnes provincias, iam omnia regna, iam omnes liberas civitates, iam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus Romanis ista defensione praecluseris* [10]).

Accedit quod non solum togati, sed etiam armati cives lege Porcia a lictorum virgis tuti erant. Cum enim Cicero dicat (pro C. Rab. 4, 12): *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit, hic misericors flagella rettulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit, Labienus homo popularis carnifici tradidit,* interpretationis leges postulant, ut haec de armatis quoque civibus dicta esse arbitremur, nisi contrarium demonstrari poterit. Atqui tantum abest ut contrarium demonstrari possit [11]), ut certum testimonium adsit, quod Scipionis Aemi-

10) Itaque ne hoc quidem dubitandum est, quin Paulus apostolus fiduciam illam, qua *civem se Romanum esse* identidem professus est, cum in provinciis populi Romani iniuriis magistratuum Romanorum obnoxius fuisset aut futurum se videret (Act. apost. 16, 37—39. 22, 24—29), in ipsa lege Porcia repositam habuerit, etsi illam non nominavit.

11) Demonstrare conatus est praeter alios, quos in notis 3 et 4 commemoravi, Lipsius de militia Romana lib. 5, cap. 18 (operum Vol. III. Vesaliae 1675. p. 377). Sed singulis exemplis militum post legem Porciam quoquo modo ab imperatoribus occisorum nihil efficitur, cum lex Porcia ne occiderentur, sed ne fascibus et securibus lictorum occiderentur vetuerit. Unus locus, quo sententia proposita cum specie aliqua veri impugnari possit, est de dilectu anni 616. u. c., quo anno legem Porciam iam latam fuisse veri simile est. Legitur in perioch. Liv. ex lib. 55. *P. Cornelio Nasica et Dec. Iunio Bruto cos. dilectum habentibus in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est, nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque sub furca diu virgis caesus est et sestertio nummo veniit* (cf. Suid. s. v. ἐπ᾽ ἐξαγωγῇ). Sed sine dubio consules ut aliis legibus ita lege Porcia solvi poterant, id quod tunc saluberrimi exempli statuendi causa factum esse probabile est, quoniam apud tribunos accusatus et ab eis damnatus esse Matienus narratur. Tribuni scilicet antequam decernerent, utrum senatusconsulto, quo consules lege solvebantur, intercederent necne, causam Matieni cognoverunt eumque auxilio tribunicio indignum esse intellexerunt. Maiore iure quam singula exempla sententiae propositae opponi potest locus Polybii 6, 37, 8. Κύριος δ᾽ ἐστὶ καὶ ζημιῶν ὁ χιλίαρχος, καὶ ἐνεχυριάζων, καὶ μαστιγῶν· τοὺς δὲ συμμάχους οἱ Πραιφέκτοι. Cum enim ante Numantiam a Scipione obsessam Polybius haec scripserit, dici non poterit eum, cum verbo ambiguo μαστιγοῦν uteretur, quo 1, 7. 11, 30 de virgis usus est, in tribunis militum de vitibus, in praefectis sociorum de virgis cogitasse; nisi forte

liani tempore non iam fuisse ut antea [12]) civium militum corpora lictorum virgis obnoxia probet. De Scipione enim Aemiliano Numantiam obsidente periochae T. Livii ex lib. 57 haec habent: *quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset vitibus, si extraneus virgis cecidit* [13]). Quid autem impediret Scipionem, qui *corruptum licentia luxuriaque exercitum ad severissimam disciplinam revocasse* dicitur, quo minus virgis etiam in cives Romanos animadverteret, nisi lex aliqua, Porcia scilicet, obstaret [14])? Immo cum lex Porcia milites virgis lictorum eripuisset, ipse Scipio [15]) vitem, qua milites castigarent, centurionibus dedisse videtur, ut et disciplinam lege Porcia dissolutam restitueret et tamen legem Porciam observaret. Etsi enim nostro iudicio non multum intererat, utrum *virgis* an *vitibus* caederentur cives Romani, Romani certe, qui in legibus observandis vocabulorum tenacissimi erant, discrimen non minus interesse putaverint, quam inter *vitem* et *arborem* [16]). Eadem ratione ducti imperatores Romani iam ante Scipionem instituisse viden-

statuere volumus iam ante Scipionem vitium castigationem, a L. fortasse Aemilio Paulo (cf. Liv. 44, 33. 34), institutam esse. Sed cum Polybius instituta Romana, qualia belli Punici secundi tempore fuerunt, descripserit, quamquam, ut ipse fatetur, nonnulla instituta Romana sua aetate non iam eadem erant, qualia Cannensis cladis tempore fuerant (6, 11, 8. 12, 10): statuendum erit, Polybium in eis, quae de tribunorum iure milites virgis caedendi dixerit, non suae aetatis instituta, sed belli Punici secundi tempus ante oculos habuisse.

12) Anno 502. u. c. *Cotta consul in Sicilia in Valerium, nobilem tribunum ex gente Valeria, virgis animadvertit*, ut narrat Frontin. strat. 4, 1, 30. Cf. Val. Max. 2, 7, 4.

13) *Virgis* cum Iahnio, non *fustibus* legendum esse patet. Qui *fustibus* in textum receperunt, quae lectio fortasse ex *fascibus* orta est, discriminis a Scipione observati rationem non perspexerunt.

14) Itaque facile caremus Sallustii testimonio, qui Iug. 69, 3 narrat: *Turpilius, quem praefectum oppidi unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, iussus a Metello causam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus verberatusque capite poenas solvit: nam is civis ex Latio erat.* Quo quidem testimonio uti non licet, quoniam postrema verba iure videntur a Dietschio (comment. cap. IV. in ed. Lips. 1859. Vol. I. p. 81 sqq.) in suspitionem vocata esse. Ceterum si Turpilius ille *civis* erat, id quod ex App. Num. 3 (p. 253 Bekk.) et ex Plut. Mar. 8 fortasse iure colligitur, locus non probat legem Porciam ad milites non pertinuisse, sed aut ut ab aliis (cf. Cic. in Verr. 5, 50, 133) ita a Metello neglectam esse, cui supplicium illud de Turpilio sumptum crimini fuisse constat ex Plut. Mar. 8, aut minus accurate Sallustium de verberatione locutum esse, cum de fustuario loqui debuisset. Sin Latinus fuit, Metellus Porciam quidem legem non neglexit, sed Liviam fortasse neglexit, de qua mox videbimus; nisi statuere malumus legem Liviam non esse perlatam, aut, si perlata erat, mox rursus abrogatam.

15) Vitis usum antiquiorem esse Scipionis Aemiliani tempore non puto certis argumentis probari posse; Didii autem alicuius partes quasdam fuisse in vitium castigatione instituenda ex eo familiae Didiae nummo, quem Mommsen l. c. p. 540 descripsit, colligi non potest, quandoquidem instrumentum, quod miles, qui in eo nummo est, manu tenet, non est vitis, sed flagellum, id quod iam Spanhemius de usu et praestantia numismatum (Amstelod. 1717), Vol. II. p. 230 intellexit; cf. Pighius l. c. II. p. 493. Eckhel, doctrina numorum, II. 5. p. 201.

16) Nota sunt, quae de legis actionibus Gaius 4, 11 tradidit: *Legis actiones appellabantur.... vel ideo, quia ipsarum legum verbis accommodatae erant et ideo immutabiles proinde atque leges observabantur: unde cum, qui de vitibus succisis ita egisset, ut in actione vites nominaret, responsum est eum rem perdidisse, quia debuisset arbores nominare eo quod lex XII tabularum, ex qua de vitibus succisis actio competeret, generaliter de arboribus succisis loqueretur.*

tur fustuarium, quo ipsi milites in commilitones animadverterent, cum lictorum virgis uti ad cives Romanos milites verberibus necandos lege Porcia vetiti essent [17]; fustes enim lex Porcia non magis nominaverat, quam vites. Fustuarium igitur non modo non est impedimento, quo minus legis Porciae vim etiam ad milites pertinuisse statuamus, sed idem probat, quod vitium castigatio a Scipione instituta. Nam ante legem Porciam virgis caesi et securi percussi sunt [18], qui ex posteriorum temporum more fustuarium meruerant [19]. Vitium autem castigatione cum ex Scipionis instituto cives Romani a Latinis distinguerentur, adeo ut vel in poena honor quodammodo inesse videretur [20], M. Livius Drusus tribunus plebis legem rogavit, *ne in exercitu Latinos virgis caedere liceret* [21]. Quae rogatio, sive perlata sive promulgata tantummodo est [22], et ipsa comprobat illud, quod ex Scipionis instituto collegimus. Qui enim huius legis rogandae consilium iniret tribunus plebis, nisi iam antea milites *Romanos* a virgarum verberatione liberasset lex Porcia [23]?

17) Polyb. 6, 37. 38.

18) Liv. 2, 59. *Ad hoc centuriones duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis caesos securi percussit: cetera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti.* Cf. 4, 29. 8, 7. Val. Max. 2, 7, 6. Praeterea apud Livium 8, 32 dictator Papirius *spoliari magistrum equitum ac virgas et secures expediri iussit.* Qua de ipsa re Fabius pater apud Liv. 8, 33: *Quo ultra iram violentiamque eius excessuram fuisse, quam ut verberaret necaretque?* Cf. Val. Max. 2, 7, 8. Legio Campana, quam securi percussam Liv. perioch. 15 et 28, 28 scribit, *tergo ac cervicibus poenas sociis pendere* coacta est secundum Liv. 31, 31. Cf. Val. Max. 2, 7, 15. Dion. 20, 7. 8. Pol. 1, 7. App. Samn. 9. In bello Punico secundo P. Cornelius Scipio, qui postea Africanus dictus est, eo genere poenae usus est, v. Liv. 28, 29. *Nudi in medium protrahebantur et simul omnis apparatus supplicii expromebatur; deligati ad palum virgisque caesi et securi percussi, adeo torpentibus metu qui aderant, ut non modo ferocior vox adversus atrocitatem poenae sed ne gemitus quidem exaudiretur.* Cf. 28, 24. *Neque venit in mentem suis tergis suisque cervicibus virgas illas securesque imminere, quas ad metum aliorum praeferrent.* Cf. Pol. 11, 30. Etiam Pleminius Locris tribunos militum verberari iussit, v. Liv. 29, 9. 18. Cf. praeterea App. Lib. 15. Liv. 30, 43.

19) Cic. Phil. 3, 6, 14. *Fustuarium meruerunt legiones, quae consulem reliquerunt.* Cf. Tac. Ann. 3, 21. Vell. 2, 78. Fustuarii poenam post legem demum Porciam institutam esse negare quispiam potuerit propter Livii locum 5, 6, ubi Appium dicentem induxit: *Fustuarium meretur, qui signa relinquit aut praesidio decedit.* Sed haec Livium ex suae aetatis more loqui in propatulo positum est. Similem anachronismum commisit Serv. ad Aen. 6, 825. Polybius autem ne anachronismum commisisse videretur, cum fustuarium commemoraret in descriptione militiae Romanae, qualis belli Punici secundi tempore fuerit, ipse cavit iis, quae 6, 11, 8. 12, 10 scripsit.

20) Plin. n. h. 14, 1, 19. *Quid quod inserta castris summam rerum imperiumque continet centurionum in manu vitis et opimo praemio tardos ordines ad lentas perducit aquilas atque etiam in delictis poenam ipsam honorat?*

21) Plut. C. Gr. 9. Τοῦ δὲ (Λιβίου) ὅπως μηδὲ ἐπὶ στρατείας ἐξῇ τινα Λατίνων ῥάβδοις αἰκίσασθαι, γράψαντος. Ῥάβδους esse fasces, i. e. virgas lictorum, notum est.

22) Res enim dubia est non solum propter dubiam interpretationem loci Sall. Iug. 69, 3 (v. not. 14). Cf. Rudorff, de maiore ac minore Latio. Berolin. 1860. p. 16.

23) Quae cum ita sint, apparet, quid de Eisenlohrii legum Porciarum tractatione statuendum sit, quippe qui legis Porciae in milites Romanos vim nusquam commemoraverit.

Iam cognovimus novum illud, quod lex Porcia praeter sanctionem ad leges Valerias attulisse videtur; sed paulisper in natura huius novi accuratius contemplanda immoremur necesse est. Quippe lex Porcia, quatenus ad milites pertinuit, nullo pacto lex de provocatione esse potuit. Provocatio enim ab imperio eius, qui in bello imperabat, post legem Porciam militibus non magis erat, quam ante legem Porciam [24]). Nam Cicero non solum in libro de legibus tertio (3, 3, 6) dixit: *militiae ab eo, qui imperabit, provocatio ne esto*, sed etiam in libro de re publica primo ipsum Scipionem Aemilianum, a quo legem Porciam vitibus pro virgis usurpatis observatam vidimus, dicentem facit (1, 40): *noster populus in pace et domi imperat et ipsis magistratibus minatur, recusat, appellat, provocat, in bello sic paret ut regi.* Atqui si lex Porcia aliquatenus non erat lex de provocatione, secundum ea, quae supra (p. 6) disputavimus, necessario statuendum erit, nullatenus legem Porciam, vel nullam trium legum Porciarum fuisse de provocatione. Videamus igitur, sitne lex Porcia, quatenus cives togatos in Italia et provinciis degentes a lictorum virgis liberavit, lex de provocatione dicenda necne.

Qui leges Porcias aut omnes, aut eam certe, quae civibus extra Urbem degentibus praesidio fuit, legem de provocatione fuisse contendunt, eorum argumentatio et coniuncta legum Porciarum et legum Valeriarum apud Ciceronem (de rep. 2, 31, 54) et Livium (10, 9) commemoratione et nummo quodam familiae Porciae nititur. Atqui ex Ciceronis loco nihil certi colligi potest, quoniam de hac ipsa re dubitatur, qua ratione ductus Cicero leges Porcias ad Valerias quicquam novi praeter sanctionem attulisse negarit. Similiter res se habet in Livii loco, de quo infra accuratius agendum erit; hic monuisse satis habeo, certum pro illa sententia argumentum propterea ex eo peti non posse, quod provocationis mentio in ipsis eis verbis deest, quibus Livius legis Porciae vim declaravit (10, 9): *gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit.* Restat nummus familiae Porciae. Is in parte adversa habet caput Palladis alatum, nomen triumviri monetalis P. LAECA, nomen urbis ROMA, signum denarii X, in parte aversa virum paludatum medium stantem inter civem togatum, cuius capiti dexteram imponit, et lictorem, qui virgam unam dextera, virgas duas sinistra manu tenet, et subter figuras illas vocabulum PROVOCO [25]). Hoc nummo legis Porciae vim a P. Porcio Laeca imagine illustratam esse haudquaquam nego; cogitandum est enim civem togatum vocem illam

24) Cf. narratio de precaria magistri equitum Q. Fabii Rulliani a dictatore L. Papirio Cursore ad populum provocatione apud Liv. 8, 30—35.

25) Eckhel, doctrina numorum II, 5. p. 286. Cavedoni, ragguaglio storico archeologico de' precipui ripostigli antichi di medagli consolari e di famiglie Romane d'argento. Modena 1854. p. 121. Mommsen, *Geschichte des Römischen Münzwesens*, p. 552 sq.

provoco emittere, ut a virgis lictoris se defendat, quas expedire ille iussus est a praetore. Sed num propterea certum est, legem Porciam de provocatione fuisse? Simplicissima sane explicatio subscriptionis esset, si lex Porcia provocationem dedisset civibus togatis extra Urbem degentibus; sed num vera sit haec explicatio, valde dubitamus. Primum enim nullum vestigium exstat iudiciorum populi ex provocatione civium extra Urbem degentium ab imperio sive consulis vel praetoris, sive proconsulis vel propraetoris ad populum ortorum, qualia multa nascitura fuisse verisimile est, si cives ex lege Porcia ius provocationis extra Urbem habuissent. Deinde in illis locis, ubi exempla sunt violatorum extra Urbem a magistratibus contra legem Porciam civium, nulla prorsus provocationis mentio fit [26]). Immo in plenissima descriptione supplicii a C. Verre de P. Gavio sumpti, quam Cicero ne minimis quidem rebus omissis in oratione Verrina quinta exhibuit, non semel sed novies dicitur P. Gavius vocem hanc: ***Civis Romanus sum***, quin etiam ***nullum aliam vocem nisi hanc*** emisisse [27]). Num credibile est P. Gavium adeo iuris fuisse ignarum, ut provocationis sollennisque in provocatione vocabuli oblivisceretur, si provocationis ius habuisset? An credibilius est, ut Gavius adeo ignarus fuerit, Ciceronem ipsum provocationis ad populum vim, quam voce ***Civis Romanus sum*** minus accurate expressisse Gavius videri poterat, non fuisse illustraturum atque amplificaturum, si lex Porcia civibus extra Urbem degentibus ius provocationis re vera dedisset? Sine dubio igitur alia subscriptionis PROVOCO explicatio quaerenda est et ea eiusmodi, ut legem Porciam de provocatione egisse non sit statuendum.

26) Quod enim Paulus apostolus in locis supra allatis (Act. ap. 16, 37. 22, 25.) ἀκατάκριτον civem Romanum a magistratibus virgis caedi debere negat, non provocationis significandae causa, quae Imperatorum tempore nulla fuit, sed atrocitatem iniuriae a lictoribus et centurionibus sibi illatae exaggeraturus dixit.

27) in Verr. 5, 62, 161. *Clamabat ille miser se civem esse Romanum, municipem Consanum, meruisse cum L. Precio, splendidissimo equite Romano, qui Panormi negotiaretur, ex quo haec Verres scire posset.* 162. *Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, iudices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec: civis Romanus sum. Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore deiecturum arbitrabatur.* 63, 163. *In crucem tu agere ausus es quemquam, qui se civem Romanum esse diceret?* 64, 165. *Quid, inquam, locutus es? illum quod moram supplicio quaereret, ideo clamitasse se esse civem Romanum, sed speculatorem fuisse.* ib. *Adhuc enim testes ex eo generea me sunt dati, non qui novisse Gavium, sed se vidisse dicerent, cum is, qui se civem Romanum esse clamaret, in crucem ageretur. Hoc tu, Verres, idem dicis, hoc tu confiteris illum clamitasse, se civem Romanum esse.* 166. *Civem Romanum se esse dicebat.* ib. *Ille . . . cum civem se Romanum esse diceret, apud te praetorem, si non effugium, ne moram quidem mortis mentione atque usurpatione civitatis assequi potuit?* 65, 168. *Constitue nihil esse opis in hac voce: civis Romanus sum, posse impune praetorem aut alium quemlibet supplicium, quod velit, in eum constituere, qui se civem Romanum esse dicat, quod eum quis ignoret.*

Atque ut statim dicam quod sentio, videtur mihi P. Porcius Laeca ille, a quo subscriptio PROVOCO profecta est, propter angustias spatii nummorum vocabulum in provocatione, quae fiebat ex lege Valeria, sollenne [28]) pro voce illa *Civis Romanus sum* usurpasse, qua legis Porciae magistratus memores esse iubebantur. Poterat in maxima cognatione legum Porciarum et Valeriarum, quam non sum negaturus, eo maiore iure triumvir monetalis hac licentia uti [29]), quo certius est, cives Romanos, qui quidem in Urbe degerent, et lege Valeria et lege Porcia a magistratuum iniuriis liberatos et *provoco* et *civis Romanus sum* dicere potuisse, cum *fidem Quiritium implorarent* [30]). Urbanorum autem civium vocem ad civem in provincia degentem propter hanc ipsam causam Laeca quasi quodam iure suo transferre potuit, quod lex Porcia, quae urbanos cives, et lex Porcia, quae cives extra Urbem degentes a lictorum virgis liberavit, pro eadem lege habebantur. Itaque cum ne ex nummo quidem contrarium possit demonstrari, legem Porciam, quatenus in Italia et in provinciis valuerit, non fuisse legem de provocatione tenebimus [31]).

Ac profecto ne in Urbe quidem lex Porcia provocationem illam, quam ex legibus Valeriis habebant, civibus confirmavit. Immo superavit leges Valerias eo, quod, nulla provocationis ratione habita, ne cives a magistratibus necarentur neve verberarentur, vetuit, cum per leges Valerias eos certe, qui ex provocatione a populo condemnati erant, verberibus necare liceret [32]). Nam ne hos quidem per legem Porciam licuisse verberibus necare ex Ciceronis oratione pro C. Rabirio habita consequitur, si Ciceronis verba accurate interpretamur. T. Atius Labienus

28) Liv. 1, 26. *Tum Horatius auctore Tullo clemente legis interprete provoco inquit.* 2, 27. 2, 55. *Volero appellat tribunos; cum auxilio nemo esset, consules spoliari hominem et virgas expediri iubent. Provoco inquit ad populum Volero, quoniam tribuni civem Romanum in conspectu suo virgis caedi malunt quam ipsi in lecto suo a vobis trucidari.* 3, 56. *Attamen et tribunos appellavit et nullo morante arreptus a viatore provoco inquit.* Cf. 8, 33. 37, 51.

29) Simili licentia Cic. in Verr. 5, 63, 163 verbis *O nomen dulce libertatis! o ius eximium nostrae civitatis! o lex Porcia legesque Semproniae!* uno tenore adicit haec: *o graviter desiderata et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas!* Nam tribunos appellare P. Gavius Messanae non magis poterat quam provocare.

30) Cf. de hac formula, quae et vocem *provoco* et vocem *civis Romanus sum* quodammodo complectitur, Varr. de l. l. 6, 68. Liv. 2, 55. 3, 41. 44. 56. 4, 14.

31) Eo facilius iam explicatur, quod omni provocatione Imperatorum tempore sublata, lex tamen Porcia permansit, ut et narratio de Paulo apostolo et Icti Pauli de officio proconsulis verba testantur in Dig. 48, 19, 8, 3. *Nec ea quidem poena damnari quem oportet, ut verberibus necetur vel virgis interimatur.*

32) Hoc cum ex praescripto legis vetustissimae perduellionis probabile sit, tum illustri M. Manlii Capitolini exemplo comprobatur. V. Liv. 1, 26. *Duumviri perduellionem iudicent: si a duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent* (duumviri), *caput obnubito, infelici arbori reste suspendito, verberato vel intra pomerium vel extra pomerium.* Gell. 17, 21. 24. *M. Manlius — convictus est consilium de regno occupando inisse damnatusque capitis e saxo Tarpeio, ut M. Varro ait* (cf. Liv. 6, 20. Dion. 14, 6. Plut. Cam. 36), *praeceps datus, ut Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est.* Cf. praeterea Sall. Cat. 51, 39. *De condemnatis summum supplicium sumebant.*

tribunus plebis C. Rabirio perduellionis diem dixerat, quod ante XXXVI annos L. Appuleium Saturninum tribunum plebis interfecisset [33]. C. et L. Caesar, cum a praetore duumviri perduellionis creati essent, C. Rabirium condemnaverant poenamque ex sententia Labieni constituerant hanc, ut Rabirius, si ex provocatione etiam a populo condemnatus esset, cruci figeretur. Comitia centuriata, quae populi iudicium latura fuerant, ipso Cicerone consule adiuvante [34] turbata erant. Qua re cum Labienus spe Rabirii perduellionis nomine puniendi deiectus esset, C. Rabirio multam irrogaverat [35], quo denuo eum ad populi iudicium adduceret. Cicero, qui in multae certatione ad populum, quae facta est in comitiis tributis, eam pro C. Rabirio orationem habuit, quae ad nos pervenit, accusatori Labieno crudelitatem exprobrat, qua in persequenda perduellionis actione usurus fuerat. His praemissis Ciceronis verba (pro C. Rab. 3, 10—4, 13) contemplemur: *Nam de perduellionis iudicio, quod a me sublatum esse criminari soles, meum crimen est, non Rabirii. Quod utinam, Quirites, ego aut primus aut solus ex hac re publica sustulissem, ut hoc, quod ille crimen esse vult, proprium testimonium meae laudis esset! Quid enim optari potest, quod ego mallem, quam me in consulatu meo carnificem de foro, crucem de campo sustulisse? Sed ista laus primum est maiorum nostrorum, Quirites, qui expulsis regibus nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiae retinuerunt, deinde multorum virorum fortium, qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infestam sed lenitate legum munitam esse voluerunt. Quam ob rem uter nostrum tandem, Labiene, popularis est? tune qui civibus Romanis in contione ipsa carnificem, qui vincula adhiberi putas oportere, qui in campo Martio comitiis centuriatis, auspicato in loco, crucem ad civium supplicium defigi et constitui iubes, an ego qui funestari contionem contagione carnificis veto, qui expiandum forum populi Romani ab illis nefarii sceleris vestigiis esse dico, qui castam contionem, sanctum campum, inviolatum corpus omnium civium Romanorum, integrum ius libertatis defendo servari oportere? Popularis vero tribunus plebis, custos defensorque iuris et libertatis! Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit: hic misericors flagella rettulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit, Labienus, homo popularis, carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Romanorum iniussu vestro iudicaretur: hic popularis a duumviris, iniussu vestro non iudicari de cive Romano, sed indicta*

33) De tota causa cf. Dio Cass. 37, 26 sqq. Suet. Caes. 12 et Brückner, *Leben des M. Tullius Cicero* (Gotting. 1852), p. 210 sqq.

34) pro C. Rabir. 3, 10. 5, 15.

35) ibid. 3, 8.

causa civem Romanum capitis condemnari coegit. Tu mihi etiam legis Porciae, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cuiusquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modo suppliciis inusitatis, sed etiam verborum crudelitate inaudita violare libertatem huius populi, tentare mansuetudinem, commutare disciplinam conatus es. Namque haec tua, quae te hominem clementem popularemque delectant: i lictor colliga manus, non modo huius libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem aut Numae Pompilii: Tarquinii superbissimi atque crudelissimi regis ista sunt cruciatus carmina, quae tu, homo lenis ac popularis, libentissime commemoras: caput obnubito, arbori infelici suspendito ... Quae verba, Quirites, iam pridem in hac re publica non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt. Videmus igitur Ciceronem de neglectis legibus Porcia et Sempronia conqueri; iam quoniam legem Semproniam a Labieno ea re neglectam esse dilucidis verbis dicit, quod Labienus a duumviris iniussu populi indicta causa civem Romanum capitis condemnari coegerat, perspicuum est ad legem Porciam neglectam omnia ea spectare, quae de ipsius supplicii atrocitate Cicero dixit. Quorum summa haec est, ut conclusione ea usus, quae fit a minore ad maius, ad crudelitatem Labieni ostentandam haec fere dicat: Satis crudelis esset Labienus, si neglecta lege Porcia C. Rabirium ex provocatione condemnatum a lictoribus verberibus necari voluisset; quanto crudelior est, quippe qui eum a carnifice cruci figi voluerit [36])! Quia igitur Labienus legem Porciam neglecturus fuerat, si Rabirium, cum a populo condemnatus esset, non cruci figi, sed verberibus necari voluisset, apparet per legem Porciam non licuisse ex provocatione condemnatos verberibus necare.

Nullam provocationis rationem habuisse legem Porciam, quatenus ad cives in ipsa Urbe degentes spectabat, etiam Sallustius testatur eis, quae C. Iulium Caesarem in senatu de puniendis Catilinae sociis dicentem induxit. Cum enim D. Iunius Silanus, qui primus sententiam rogatus erat, de quinque illis, qui in custodiis tenebantur, aliisque nonnullis, si deprehensi forent, *supplicium sumendum* decrevisset, C. Iulius Caesar, novum poenae genus ideoque a re publica alienum esse demon-

36) Cf. de gradatione hac ib. 5, 16. *Mors denique si proponitur, in libertate moriamur; carnifex vero et obductio capitis et nomen ipsum crucis absit non modo a corpore civium Romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non solum eventus atque perpessio, sed etiam condicio, exspectatio, mentio ipsa denique indigna cive Romano atque homine libero est. An vero servos nostros horum suppliciorum omnium metu dominorum benignitas vindicta una liberat: nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore neque res gestae neque acta aetas neque vestri honores vindicabunt?* in Verr. 5, 66, 170. *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare; quid dicam in crucem tollere?*

straturus interrogat (Sall. Cat. 51, 21—24): *Sed per deos inmortalis quam ob rem in sententia non addidisti, uti prius in eos verberibus animadvorteretur? An quia lex Porcia vetat? At aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, set exilium permitti iubent. An quia gravius est verberari quam necari? Quid autem acerbum aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos? Sin quia levius est, qui convenit in minore negotio legem timere, cum eam in maiore neglegeris?* Quae verba, si vocabulum *item* etiam ad *condemnatis* referre liceret, aperte dicerent, ut aliae leges *condemnatis* civibus exilium permitti iuberent, *item* legem Porciam *condemnatos* a verberum poena defendere, id quod ita fuisse ex oratione Rabiriana modo collegimus. Sed cum vocabulum *item* ad sola verba vetandi et iubendi spectet, cumque *condemnati* a Caesare non a populo ex provocatione sed a quaestionibus perpetuis aut extraordinariis sine provocatione condemnati intellegantur, satis habemus ex Caesaris verbis vel potius ex eius silentio collegisse, legem Porciam nulla provocationis ratione habita vetuisse, ne in cives verberibus animadvorteretur prius quam necarentur. Nam si provocationis meminisset Caesar, — meminisse autem debebat, si lex Porcia de provocatione fuisset, — facere non poterat, quin diceret Catilinae sociis provocationem ad populum esse permittendam. In eandem sententiam silentium de provocatione in eis accipiendum est, quae in posteriore orationis parte Caesar dixit (Sall. Cat. 51, 39. 40): *Sed eodem illo tempore verberibus animadvortebant in civis, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia huiuscemodi fieri coepere, tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est.*

Quae cum ita sint, nemo, ut opinor, iam dicet, forte fortuna aut errore aut negligentia a Livio in definienda legis Porciae vi provocationis mentionem omissam esse (v. p. 11); quod quo accuratius cognoscatur, totum locum excutiamus. Livii, qui legem Porciam commemoravit, ubi de lege Valeria tertia dixit, verba sunt haec (10, 9): *Eodem anno* (454. u. c.) *M. Valerius consul de provocatione legem tulit diligentius sanctam. Tertio ea tum post reges exactos lata est semper a familia eadem. Causam renovandae saepius haud aliam fuisse reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterat. Porcia tamen lex sola pro tergo civium lata videtur, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit. Valeria lex cum eum qui provocasset virgis caedi securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra quam improbe factum adiecit. Id qui tum pudor hominum erat, visum credo vinculum satis validum legis; nunc vix servus ero ita minetur quisquam.* Livius igitur ante omnia id egit,

ut eam vulgi opinionem, ex qua *sola lex Porcia* pro tergo civium lata esse *videretur,* notaret [37]. Falsam eam esse probe scivit, quippe qui legem Valeriam primam et alteram in libro secundo (cap. 8) et tertio (cap. 55) commemoraverit neque ignoraverit *Valeriam legem eum, qui provocasset, virgis caedi securique necari vetuisse* ideoque *de tergo et vita* civium (2, 29), *de tergo et cervicibus* (3, 45) latam esse. Deinde explicare studuit, qui factum esset, ut *sola lex Porcia* pro tergo civium lata esse videretur, Valeriae autem leges in oblivionem abirent. Causam huius rei hanc sibi invenisse visus est, quod lex Porcia *gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxisset.* Gravi huic legis Porciae poenae magnam vim tribuisse Livium in propatulo positum est; illustrat enim gravis poenae vim opposita legis Valeriae sanctione, quae solis verbis *improbe factum* constiterit. In sola autem gravi legis Porciae poena causam eius rei, quam explicare voluit, Livium invenisse ita demum probabile esset, si credidisset, verba *improbe factum* ad legem tertiam Valeriam pertinere. Atqui dormitasset, si hoc credidisset; nam ipse non solum secundae legis Valeriae sanctionem gravissimam in libro tertio (c. 55) enarraverat, sed etiam hoc ipso loco legem Valeriam tertiam *diligentius sanctam* quam priores modo dixerat. Iam si sanctio *improbe factum* in lege Valeria prima erat, quae ex Livii sententia ideo bis renovanda erat, quod *plus paucorum opes quam libertas plebis* poterat, apparet non ex sola gravi legis Porciae poena Livium vulgarem de lege Porcia opinionem et legum Valeriarum oblivionem explicare potuisse. Statuendum est igitur eum scientem quae scriberet ea perscripsisse,

37) Vulgi hanc opinionem fuisse legesque Valerias prorsus in oblivionem abiisse non solum ex silentio Caesaris apud Sallustium (Cat. 51, 21. 39) et Ciceronis in oratione Rabiriana (cf. imprimis 3, 10. 4, 13. 5, 15), sed etiam inde colligitur, quod Cicero in libri de re publica secundi loco, a quo initium disputandi fecimus, legem Valeriam tertiam non est recordatus omniaque illa, quae de legibus Valeriis dixit, et *vetera* et *obsoleta* esse confitetur. Idem significat in Acad. prior. 2, 5, 13. *Primum mihi videmini cum veteres physicos nominatis facere idem, quod seditiosi cives solent, cum aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuisse populares, ut eorum ipsi similes esse videantur. Repetunt ii a P. Valerio, qui exactis regibus primo anno consul fuit, commemorant reliquos, qui leges populares de provocationibus tulerint, cum consules essent; tum ad hos notiores C. Flaminium, L. Cassium, Q. Pompeium: illi quidem etiam P. Africanum referre in eundem numerum solent.* Quo in loco Ciceronem, quod ad Valerias leges attinet, non morem quendam seditiosorum civium, sed ea, quae Scipio de Valeriis legibus in libro de re publica II. exposuit, respicere patet. Quid quod legum Valeriarum praeter hos locos nulla omnino apud Ciceronem mentio fit? Nam qui a Baitero laudatur alter e libro secundo de re publica locus (2, 36, 61), in eo *lex, quae de capite civis Romani nisi comitiis centuriatis statui vetuisse* dicitur, non est lex Valeria prima, sed lex ab ipsis decemviris perscripta (Liv. 3, 33). Silentio illi Ciceronis eo maior vis tribuenda est, quod haud raro occasionem legum Valeriarum commemorandarum habuit. Sed ne in oratione quidem pro L. Valerio Flacco habita, ubi gentis Valeriae et P. Publicolae laudes effert, legem Valeriam nominavit (1, 1. 11, 25). Apparet igitur leges Valerias eis solis notas fuisse, qui *annalium monumenta* et *regum commentarios* (Cic. pro C. Rab. 5, 15), *libros pontificios et augurales* (de rep. 2, 31) perscrutati essent.

quibus legis Porciae vim definivit, ideoque verba *adversus provocationem* aut *qui provocasset* omisisse, quia re vera in lege Porcia non inerant.

Iam quoniam demonstravimus leges Porcias non fuisse de provocatione, nonne augentur difficultates loci Ciceroniani explicandi, quae propter nova illa, quibus a legibus Valeriis diversas fuisse vidimus, satis magnae essent, etiamsi leges essent de provocatione? Tantum abest ut hoc concedam, ut contra ea ipsa in re, quod non fuerunt leges de provocatione, cardinem difficultatis expediendae verti asseverem.

Ex universo nexu sententiarum, qui in Ciceronis de tribus legibus Porciis loco inest, hoc quidem primo oculorum obtutu elucet, id egisse Ciceronem, ut eorum opinionem impugnaret, qui legum Valeriarum prorsus obliti legibus Porciis ea quoque tribuerent, quae Valeriis tribuenda erant. Leges autem Valerias non ideo commemoravit, ut institutum provocationis explicaret atque illustraret (id quod ne fecit quidem, quoniam de provocatione multo plura dicenda erant, ut fecisse videri posset), sed ut libertatem populi iam in primordiis liberae rei publicae stabilitam esse demonstraret. *Mens* enim, qua *maiores et Conlatinum et reliquos Tarquinios expulisse,* qua *eadem P. Valerius et fasces primus demitti iussisse et aedis suas sub Veliam detulisse* dicuntur, nulla alia potest esse, quam haec, qua *maiores expulsis regibus nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiae retinuerunt* (Cic. pro Rab. 3, 10), qua P. Valerii Publicolae *virtute regibus exterminatis libertas in re publica constituta est* (pro Flacc. 11, 25). Hanc autem mentem re vera a Cicerone dici eademque mente dici Valerium legem illam tulisse, *ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret,* cum ex verbis *in quo fuit publicola maxime,* tum ex eis verbis sequitur, quibus post interiectam aliarum de provocatione legum legumque Porciarum mentionem ad Publicolam reversus dixit, eum et *securis de fascibus demi iussisse* et *collegam sibi subrogasse* et *instituisse primum ut singulis consulibus alternis mensibus lictores praeirent.* Addit enim, qua mente hoc fecerit, nimirum: *ne plura insignia essent inperi in libero populo quam in regno fuissent.* Etiam ex eis verbis, quibus laudem Publicolae summatim repetit, sequitur a Cicerone Publicolam non tam provocationis inventorem, quam libertatis populi auctorem laudari. Nam *haud mediocris,* inquit, *vir fuit, qui modica libertate populo data facilius tenuit auctoritatem principum.* Nemo, credo, de hac re unquam dubitaturus fuit, si superessent ea, quae Cicero de institutis binis consulibus annuis sine dubio in lacuna, quae est inter caput 30 et 31, exposuerat (cf. de rep. 1, 40).

Quodsi Cicero non ipsam provocationem, sed libertatem populi in primordiis liberae rei publicae stabilitam illustrare voluit, primum apparet *potuisse* eum leges

Porcias cum Valeriis comparare, quamquam illas non esse leges de provocatione non ignoraret. Nam leges Porciae legibus Valeriis non hoc solum nomine simillimae erant, quod utraeque cives Romanos a magistratibus verberari et necari vetuerant ideoque utraeque *leges de civium Romanorum supplicio* [38]) nominari poterant, sed etiam hoc, quod utraeque ea re imperium magistratuum minuerant [39]) ideoque utraeque *leges de libertate civium* iure nominari poterant [40]). Ac profecto leges Porcias leges de libertate civium existimatas esse cum Ciceronis loci reliqui, qui de lege Porcia sunt, luce clarius demonstrant [41]), tum vero etiam nummus alius familiae Porciae, qui in adversa parte caput Palladis alatum, nomen LAECA, signum X, in aversa parte mulierem habet, Libertatem scilicet, quae quasi triumphans in quadriga stat, dextera manu pileum, insigne libertatis, sinistra scipionem tenens, et ab advolante Victoria coronatur; subter mulierem nomen M. PORC. et ROMA [42]). Atque haec quidem iam sufficerent ad excusandum Ciceronem, quod eo loco, ubi de imperio regio imminuto deque civium libertate stabilita locutus est, ubi legum Valeriarum vulgo ignotarum vim legibus Porciis obscuratam in clariore luce collocare voluit, diversitatem legum Valeriarum et Porciarum neglexisset. Sed culpa aliqua haereret; nam dicere quispiam posset Ciceronem ad vim legum Valeriarum augendam minuisse legum Porciarum vim deque industria reticuisse nova illa, quibus leges Porciae ab legibus Valeriis diversae erant.

Ut etiam hac culpa liber sit Cicero, ea ipsa re efficitur, quod leges Porciae *non* erant leges de provocatione. Hac enim re explicatur, quo iure Cicero *leges*

38) Cic. in Cat. 1, 11, 27. 28. *Nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? Quid tandem te impedit? Mosne maiorum? At persaepe etiam privati in hac re publica perniciosos cives morte multarunt. An leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt?* Quo in loco etsi non solae leges Porciae intelleguntur (cf. 4, 5, 10), intelleguntur tamen, siquidem *summum supplicium* est eius, qui *verberibus necatur.*

39) Liv. 4, 13. *Tum Quinctius consules immerito increpari ait, qui constricti legibus de provocatione ad dissolvendum imperium latis nequaquam tantum virium in magistratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam quantum animi haberent.* Cf. Liv. 2, 29. 3, 20. 3, 67.

40) De legibus Valeriis cf. Cic. de or. 2, 48, 199. *Neque reges ex hac civitate exigi neque tribunos plebis creari neque plebiscitis toties consularem potestatem minui neque provocationem, patronam illam civitatis ac vindicem libertatis, populo Romano dari sine nobilium dissensione potuisse.* Cf. etiam Liv. 3, 33. 3, 45. *Non si tribunicium auxilium et provocationem plebi Romanae, duas arces libertatis tuendae, ademistis.*

41) Cic. pro Rab. 4, 11. *An ego, qui — inviolatum corpus omnium civium Romanorum, integrum ius libertatis defendo servari oportere? 12. Popularis vero tribunus plebis custos defensorque iuris et libertatis! — Porcia lex libertatem civium lictori eripuit.* in Verr. 5, 63, 163. *O nomen dulce libertatis, o ius eximium nostrae civitatis! o lex Porcia legesque Semproniae!* Cf. 66, 170. 67, 172.

42) Eckhel l. c. II. 5. p. 286. Cavedoni l. c. p. 120. Mommsen l. c. p. 526.

Porcias ad leges Valerius praeter sanctionem quicquam novi attulisse negare potuerit. Nam propter hanc ipsam rem, quod non acquieverunt in libertate civium *sola provocatione* tuenda ideoque effecerunt, ut cives ne tum quidem, cum a populo ex provocatione condemnati essent, et ne ibi quidem, ubi iure provocationis omnino uti non possent, verberari et necari deberent, melius — quod quidem ad libertatem civium stabiliendam, de qua Ciceronem loqui vidimus, pertinet — sanctae erant quam leges Valeriae. Itaque cum ad libertatem civium legibus Valeriis stabilitam nihil novi afferrent, praeterquam quod libertatem illam civium meliore sanctione corroboraverunt, novi nihil ad leges Valerias attulisse optimo iure dici poterant. Nova illa, quibus leges Porciae ab legibus Valeriis diversae erant, quae Cicero reticere non debuit, si provocationem ipsam legibus Valeriis datam legibus Porciis, ut nunc vulgo creditur, ex angustia Urbis in orbem terrarum prolatatam illustrare voluisset —, nova illa, inquam, quod ad libertatem civium stabiliendam pertinet, ipsa illa meliore legum Porciarum sanctione comprehensa erant, ut satis fecisse ei postulato nobis videamur, quod ipsi supra (p. 6) proposuimus.

Simul hoc apparet, Ciceronem cum Livio in summa re prorsus consentire. Livius explicare studuit, qui factum esset, ut *sola lex Porcia* pro tergo civium lata esse videretur; Cicero eandem vulgi opinionem, ex qua *solae leges Porciae* libertatem civium confirmasse visae sunt, impugnavit. Livius causam attulit, quod *gravi poena* lex Porcia et *praeter provocationem* ne cives necarentur neve verberarentur vetuisset, Cicero falsam esse opinionem illam brevi quidem, sed haudquaquam falso argumento indicavit: quod *sanctione* leges Porciae leges Valerias superassent. Hac sola in re Cicero a Livio discedit, quod neque Porcias leges nullam provocationis rationem habuisse significavit, neque formulam legum Porciarum adscripsit, ex qua, sicut apud Livium, cognosceretur certe eas nullam provocationis rationem habuisse. Sed hoc a consilio, quod Cicero in comparandis legibus Porciis cum legibus Valeriis sequebatur, ita alienum erat, ut crimini Ciceroni nullo pacto verti possit, quod eo moram consilii persequendi non fecerit.

Sed vel sic tamen vix explicari posset, cur Cicero praeter sanctionem quicquam novi attulisse leges Porcias negaret, si prima statim lex Porcia vetuisset, ne cives extra Urbem degentes necarentur neve verberarentur, ut supra (p. 5) indicavimus. Reversi igitur ad alteram quaestionem, quam supra non solutam transmisimus, videamus, qua re tres leges Porciae, quae vulgo pro una lege habebantur, diversae inter se fuerint.

Quodsi recordamur ex omnibus, quae hactenus de legibus Porciis cognovimus, consequi, ut triplex civium respectu legis Porciae habito condicio distinguenda sit,

civium in Urbe degentium, civium extra Urbem sive in Italia sive in provinciis degentium, civium denique in exercitibus Romanis stipendia merentium; si porro reputamus ex ipsarum legum Valeriarum sententia primum postulandum fuisse, ut civium in Urbe degentium libertas confirmaretur, gravissimas autem sine dubio dubitationes obstitisse, quo minus militibus a lictorum virgis et securibus liberandis disciplina militaris laxaretur et propemodum solveretur: non dubitabimus, quin prima lex Porcia de eorum civium solorum libertate praeceperit, qui iam provocationis iure a crudelitate magistratuum tuti erant, altera de civium togatorum in Italia et provinciis degentium libertate, tertia denique de civium militum Romanorum libertate. Itaque nihil impedit, quo minus primam legem Porciam aut certe primarium eius caput eis ipsis verbis conceptam fuisse arbitremur, quae ex Livii verbis [43]) comparatis cum Ciceronis de prima lege Valeria verbis efficimus:

ne quis magistratus civem Romanum necaret neve verberaret.

Quorum verborum cum legis Valeriae capite primario similitudo si obversabatur Ciceronis menti, apparet, quo iure dicere potuerit, leges Porcias praeter sanctionem nihil novi attulisse [44]). Legis Porciae primae verba, etiamsi provocationis lege Valeria datae ne mentio quidem in ea facta esset, quam tamen in ipsa lege Porcia factam esse haudquaquam negaverim [45]), per se patebat ad solos cives in Urbe degentes spectare, cum leges Valeriae abrogatae certe lege Porcia non essent. Quodsi his verbis lex Porcia prima concepta fuit, altera lex Porcia verba illa repetere potuit additis eis, quibus primam legem et supplevit et superavit [46]), hunc fere in modum:

ne quis magistratus civem Romanum neve in Urbe neve extra Urbem necaret neve verberaret.

43) Verba illa etsi, cum legem Porciam singulari numero Livius dixerit, de omnibus tribus legibus Porciis recta esse debent, imprimis tamen respectu primae legis Porciae habito a Livio scripta esse nemo negabit.

44) Si quis argutari velit, dicere poterit legem Porciam non solum nihil novi *attulisse*, sed etiam *detraxisse* ea, quae in legibus Valeriis inerant, verba *adversus provocationem*. Sed argutiis non indigemus.

45) Poterat in ipso primario capite adici: *qui provocasset, quive non provocasset, quive ex provocatione a populo condemnatus esset* (cf. Livii 10, 9 verba de lege Valeria); si quis haec praeferat, is in altera lege his retentis legere debebit: *neve qui extra Urbem esset*, in tertia: *neve qui extra Urbem esset, neve qui in exercitu stipendia mereret.*

46) Quodammodo comparari potest ratio, qua lex Didia a. 611. u. c. lata legem Fanniam a. 593. u. c. latam suppleverit; cf. Macrob. Sat. 2, 13. *Fanniam legem post annos decem et octo lex Didia consecuta est; eius ferendae duplex causa fuit: prima et potissima, ut universa Italia, non sola urbs, lege sumtuaria teneretur, Italicis existimantibus Fanniam legem non in se, sed in solos urbanos cives esse conscriptam, deinde, ut non solum, qui prandia coenasve maiore sumtu fecissent, sed etiam, qui ad eas vocitati essent atque omnino interfuissent, poenis legis tenerentur.*

Tertia autem lex Porcia rursus haec repetere potuit additis eis, quibus ipsa legem secundam superavit, hunc fere in modum:

> *ne quis magistratus civem Romanum neve in Urbe neve extra Urbem neve togatum neve militem necaret neve verberaret.*

Quodsi primaria trium legum capita hunc in modum aut similiter concepta erant, sponte apparet tres leges ideo pro una habitas esse, quod lex tertia praeter nova, quae ipsa addidit, legem secundam repetivit, quae et ipsa eodem modo primam repetiverat. Simul autem apparet tertiae legis ab secunda et secundae ab prima diversitatem ita eis, quae communia omnibus erant, tectam quasi et obrutam fuisse, ut non in prolatata per orbem terrarum libertate civium, sed in stabilita *praeter provocationem* libertate civium, non in accidentibus sed in substantia, non in singulis praeceptis sed in meliore legis Porciae sanctione cardo rei verti videretur. Itaque Cicero ne eo quidem nomine vituperandus erit, quod in orbem terrarum legibus Porciis secunda et tertia prolatatam libertatem civium praetermiserit; quam sine dubio exposuisset, si per consilium primarium, quod in describendis P. Valerii Publicolae meritis secutus est, legum Porciarum vi accuratius exponenda moram facere licuisset.

Iam spero fore ut non praeiudicata quadam opinione ductus, sed accurata veterum scriptorum interpretatione et singulorum quaestionis momentorum existimatione commotus eas difficultates solvisse videar, quae ex Ciceronis de tribus legibus Porciis testimonio oriri videbantur.

Sed alia difficultas restat, quam de industria adhuc non tetigimus. Diximus Livium (10, 9) explicare voluisse, qui factum esset, ut *sola lex Porcia pro tergo civium lata esse videretur* (p. 17), causamque eius opinionis vulgaris satis expedivimus; non expedivimus, quid sit, quod Livius legem Porciam *pro tergo civium latam* dicat, cum ipse haud sane ignarus fuerit *legem Porciam gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxisse.* Quod re vera sanctum esse lege Porcia cum ipsius Ciceronis testimonio confirmetur [47], non desunt tamen sententiae ita dictae, ut populum Romanum opinatum certe esse probent, legem Porciam *pro tergo civium*, non etiam *pro capite* latam fuisse [48]. Sine dubio huc referendi

47) V. praeter locum de rep. 2, 31, 54 imprimis pro Rab. 3, 8. *De civibus Romanis contra legem Porciam verberatis aut necatis.* Cf. ib. 5, 16. *Nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore neque res gestae neque acta aetas neque vestri honores vindicabunt,* ubi *verberibus* notatur mos *verberibus necandi,* id quod ex nexu sententiarum colligitur. Cf. praeterea in Verr. 5, 66, 170. *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare.*

48) Sall. Cat. 51, 21. *Quamobrem in sententia non addidisti, uti prius in eos verberibus ani-*

sunt etiam ei loci, in quibus legis Porciae mentione non adiecta *de iure virgarum* sermo est, quod magistratus Romani in peregrinos et fortasse etiam in Latinos haberent, in cives Romanos non haberent [49]).

Vulgi illa opinio admodum mira sane esset, si lex Porcia *ius vitae necisque* ademisse magistratibus cum imperio declamatori illi credendum esset, qui Sallustii nomine declamationem in Ciceronem scripsit [50]), et si viri docti illi verum vidissent, qui lege Porcia omnem omnino mortis poenam antiquatam esse censent. Quorum alii legem Porciam simul sanxisse censent, *ut exilium condemnatis permitteretur*, alii *aquae et ignis interdictionem* summam capitis poenam constituisse opinantur [51]). Atqui

madvorteretur? An quia lex Porcia vetat? At aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi sed exilium permitti iubent. An quia gravius est verberari quam necari? ... Sin quia levius est, qui convenit in minore negotio legem timere, cum eam in maiore neglegeris? Cic. pro Rab. 4, 12. *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit,* ubi de securibus tacetur. ib. *Porcia lex libertatem civium lictori eripuit,* ubi de vita tacetur; at cf. supra p. 14. Cf. in Verr. 5, 62, 162. *Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore deiecturum arbitrabatur.* Post legis Porciae et legum Semproniarum tribuniciaeque potestatis commemorationem pergit 63, 163. *Hucine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus in provincia populi Romani, in oppido foederatorum, ab eo, qui beneficio populi Romani fasces et secures haberet, deligatus in foro virgis caederetur?*

49) De civibus Romanis (cf. not. 27); de peregrinis App. b. c. 2, 26 (p. 553 Bekk.). Πόλιν δὲ Νεόκωμον ὁ Καῖσαρ ἐς Λατίου δίκαιον ἐπὶ τῶν Ἄλπεων ᾠκίκει, ὧν ὅσοι κατ᾽ ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται· τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον· τῶν οὖν Νεοκώμων τινά, ἄρχοντά τε αὐτοῖς γενόμενον καὶ παρὰ τοῦτο Ῥωμαῖον εἶναι νομιζόμενον, ὁ Μάρκελλος ἐφ᾽ ὕβρει τοῦ Καίσαρος ἔξηνε ῥάβδοις ἐφ᾽ ὀτῳδή, οὐ πασχόντων τοῦτο Ῥωμαίων· καὶ τὸν νοῦν ὑπ᾽ ὀργῆς ἀνεκάλυπτε, τὰς πληγὰς εἶναι ξενίας σύμβολον, καὶ φέρειν αὐτὰς ἐκέλευε καὶ δεικνύναι τῷ Καίσαρι. Plut. Caes. 29. Οἱ περὶ Μάρκελλον καὶ Λέντλον ἠναντιοῦντο μισοῦντες ἄλλως Καίσαρα καὶ τοῖς ἀναγκαίοις οὐκ ἀναγκαῖα προστιθέντες εἰς ἀτιμίαν αὐτοῦ καὶ προπηλακισμόν. Νεοκωμίτας γὰρ ἔναγχος ὑπὸ Καίσαρος ἐν Γαλατίᾳ κατῳκισμένους ἀφῃροῦντο τῆς πολιτείας καὶ Μάρκελλος ὑπατεύων ἕνα τῶν ἐκεῖ βουλευτῶν εἰς Ῥώμην ἀφικόμενον ᾔκισατο ῥάβδοις ἐπιλέγων, ὡς ταῦτα τοῦ μὴ Ῥωμαῖον εἶναι παράσημα προστίθησιν αὐτῷ καὶ δεικνύειν ἀπιόντα Καίσαρι ἐκέλευε. Cf. Cic. ad Att. 5, 11, 2. *Marcellus foede de Comensi. Etsi ille magistratum non gesserat, erat tamen Transpadanus. Ita mihi videtur non minus stomachi nostro* (i. e. Pompeio) *ac Caesari fecisse.* Num in Latinos ius virgarum magistratibus Romanis fuerit, post legem Liviam latam (v. supra p. 10) dubium est, quia non constat, utrum ea lex valuerit necne (cf. not. 22). Praeterea *ius virgarum* ut symbolum peregrinitatis commemoratur a Plinio n. h. 7, 43, 136. *Fuit et Balbus Cornelius maior consul, sed accusatus atque de iure virgarum in eum iudicum in consilium missus, primus externorum atque etiam in Oceano genitorum usus illo honore, quem maiores Latio quoque negaverint.* De L. Cornelio Balbo eo sermo est, quem Cicero, cum accusatus esset, quod civem Romanum iniuste se gereret, defendit. Pertinet huc etiam Diod. 37, 18. (Vol. IV. p. 177. ed. Bekk.). Οὐ γάρ εἰμι Ῥωμαῖος, ἀλλ᾽ ὅμοιος ὑμῶν ὑπὸ ῥάβδοις τεταγμένος περινοστῶ τὴν Ἰταλίαν.

50) Ps. Sall. in Cic. 3, 5. *Quum omnia iudicia omnes leges in tua libidine erant, quum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, nostrum omnium vitae necisque potestatem ad te unum revocaveras.*

51) Falso haec colliguntur ex Sall. Cat. 51, 40. *Tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus exilium damnatis permissum est.* Nam in eis verbis enuntiatio relativa ad sola verba *aliaeque leges* pertinet, ut ex Sall. 51, 21 patet: *Quamobrem in sententia non addidisti, uti prius in eos verberibus animadvorteretur? An quia lex Porcia vetat? At aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti iubent.*

loci praeter Pseudo-Sallustii locum omnes, qui quidem de mortis poena aliquid in lege Porcia fuisse testantur, non testantur mortis poenam quamlibet, sed speciem mortis poenae eam, quae verbis *verberandi et necandi* aut verbis *virgis caedendi et securi percutiendi* aut verbis *tergo ac capite puniendi* designatur, in qua nudi ad palum deligabantur et a lictoribus *lege agentibus* (Liv. 26, 15. 16) usque ad necem verberabantur 52), lege Porcia antiquatam esse. Neque desunt loci, qui probent mortis poenam, quamvis Romani eius aetatis eam perhorruerint 53), vel post legem Porciam militiae certe legitimam fuisse 54), domi autem non lege Porcia, sed lege Sempronia abrogatam visam esse 55).

Vel sic tamen satis mira esset vulgi illa opinio, nisi difficultas illa explicaretur historia provocationis apud Romanos eaque ipsa re, quod leges Porciae non erant leges de provocatione. Nam postquam lex prima Valeria de provocatione perlata est, iudicia populi, quae iam regum tempore, si ipse rex provocationi cedere vellet, fuisse constat, magno opere confirmata sunt, quoniam magistratus, nisi *improbe fecisse* (Liv. 10, 9) videri vellent, provocationi cedere debebant 56). Sed quamquam lex Valeria sanxerat, *ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret*

52) Cf. locos in not. 47 perscriptos et Cic. in Verr. 5, 52, 161. *Cum repente hominem proripi atque in foro medio nudari ac deligari et virgas expediri iubet — deinde iubet undique hominem vehementissime verberari.* 63, 163. *Ut deligatus in foro virgis caederetur.* Quibus cum locis conferas quaeso locos in not. 18 congestos et praeterea Gell. 17, 24. *M. Manlius — verberando necatus est.* Liv. 2, 5. *Nudatos virgis caedunt securique feriunt.* Liv. 3, 55. *Ut tergo ac capite puniretur.* 8, 37. *Polliae sententia fuit puberes verberatos necari.* 8, 20. *Vitruvium* (Privernatem) *in carcerem adservari iussit, quoad consul redisset, tum verberatum necari.* 10, 1. *Frusinates virgis caesi et securi percussi.* 26, 15. 16. Cic. in Verr. 5, 44—46. 5, 50, 133. Fest. 241 M. *Probrum virginis Vestalis ut capite puniretur, vir, qui eam incestavisset, verberibus necaretur.* Liv. 22, 57. *L. Cantilius — qui cum Floronia stuprum fecerat, a pontifice maximo eo usque virgis in comitio caesus erat, ut inter verbera expiraret.*

53) Cf. not. 36 et Cic. in Verr. 5, 50, 133.

54) Cf. supra not. 17 et 19 et Dion. 11, 43. Singula exempla, quae praeterea exstant militum ab imperatoribus occisorum, enumerare non est necesse.

55) Post legem Porciam et ante legem Semproniam C. Atinius Labeo trib. pl. Q. Metellum censorem de saxo Tarpeio deici iussit (Liv. per. 59. Plin. n. h. 7, 44, 142 sq.); si ille, ut probabile est, perduellionis diem censori dixerat, apparet non ipsam mortis poenam in eius actione fuisse illegitimam. Lex autem Sempronia cum lege Porcia intellegitur a Cic. in Cat. 1, 11, 28, ubi *leges de supplicio civium Romanorum rogatas* nominat, quibus impediatur, quo minus Catilinam morte multet. Hoc enim ex Cic. Cat. 4, 5, 10 prodit, ubi *lex Sempronia* ita nominatur, ut eam Caesar respexisse videatur, cum de Catilinae sociis non summum supplicium sumendum, sed in vinculis eos habendos decerneret (Sall. Cat. 51, 43). Re autem vera Caesarem legem Semproniam in animo habuisse, cum diceret *aliis legibus exilium damnatis permissum esse* (Sall. Cat. 51, 22. 40), inde elucet, quod posteriore loco etiam verbis *postquam circumveniri innocentes coepere* legem Semproniam significat, quae inter alia sanxerat, *ne quis iudicio circumveniretur* (Cic. pro Cluent. 55, 151). Ceterum vix est, quod moneam legem Semproniam a Cicerone non eo tantum nomine violatam esse, quod Catilinarios strangulandos curavit (cavit igitur, ne legem Porciam violaret), sed etiam eo, quod eos indicta causa et iniussu populi condemnavit (cf. pro Rab. 4, 12. in Verr. 5, 63, 163. Schol. Gronov. 412. Schol. Ambros. 370).

56) Lange, *Römische Alterthümer,* Vol. I. p. 428.

neve verberaret, nulla tamen iudicia populi de provocatione adversus magistratus, qui *verberari* cives, non dico *verberari et necari*[57]*,* iussissent, orta sunt. Nec mirum; nam magistratus, nisi crimina eiusmodi erant, ut nefas futurum fuisset, si impune ea sivissent[58], eiusmodi iudicium non ferebant, a quo provocare privati possent. Ut oboedientes igitur cives haberent imperiis suis, aut multa aut vinculis eos coercebant[59]. Si qui autem magistratus his non contenti *verberibus* opus esse existimabant[60], quibus dictatorem sublata provocatione uti potuisse constat[61], aut tribunicium auxilium paulo post legem Valeriam primam latam populo concessum sufficiebat ad depellendas a tergo civium iniurias[62], aut si verberibus iam afflicti erant non oboedientes cives, res non ea erat, ut ad populum provocarent, cum accepta semel verbera de tergo rursus demere ne populus quidem posset. Adversus tales magistratuum iniurias nullum aliud auxilium paratum erat, nisi ut tribuni propter violatam legem Valeriam magistratibus diem dicerent[63]. Quod autem de furibus manifestis, nedum de impuberibus praetoris arbitratu verberatis (v. not. 57), nulla ex provocatione iudicia populi orta sunt, quamquam fures manifestos, *si furtum luci fecissent neque se telo defendissent, verberatos eique, cui furtum factum esset, addictos esse* constat[64], facillime ita explicabitur, ut fures manifestos in lege Valeria exceptos fuisse statuatur, nisi quis credere mavult fures manifestos cum ipsa libertate[65] civitatem amisisse visos esse. Nulla iudicia populi de tergo civium fuisse si cui ex ea re, quod nunquam commemorantur, non satis certum esse videatur, ei hoc non casu factum esse persuadebit praeclara illa XII tabularum lex, quae *de cupite civis* nisi comitiatu maximo iudicari vetuit[66]. Nam

57) Haec enim distinguenda esse cum per se patet, tum testatur Dion. 2, 29. Ῥάβδους τε καὶ πελέκεις ὑπ' ἀνδρῶν δώδεκα φερομένους, οἳ τοὺς μὲν ἄξια μαστίγων δεδρακότας ἔξαινον ἐν ἀγορᾷ, τῶν δὲ τὰ μέγιστα ἠδικηκότων τοὺς τραχήλους ἀπέκοπτον ἐν τῷ φανερῷ. Hinc impuberes praetoris arbitratu verberabantur, si id commisissent, quod puberes graviore poena luere debebant (Plin. n. h. 18, 3, 12. Gell. 11, 18). Cf. praeterea de discrimine illo Dig. 47, 9, 9. Dion. 2, 67.

58) Ut in perduellione (Liv. 1, 26. 2, 8), in parricidio (Dion. 3, 22. Auct. ad Her. 1, 13, 23), in aliis (Plin. n. h. 18, 3, 12. Gell. 20, 1, 7. 53. Dig. 47, 9, 9).

59) Cic. de leg. 3, 3, 6. Dig. 1, 2, 2, 16. Cf. Rubino l. c. p. 442.

60) Liv. 2, 29. 55. Cf. Dion. 6, 24.

61) Liv. 3, 45. 58.

62) Liv. 2, 55. *Volero appellat tribunos. Cum auxilio nemo esset, consules spoliari hominem et virgas expediri iubent. Provoco inquit ad populum Volero, quoniam tribuni civem Romanum in conspectu suo virgis caedi malunt, quam ipsi in lecto suo a vobis trucidari.*

63) Liv. 3, 58.

64) Gell. 11, 18. Gai. 3, 189.

65) Gai. l. c. *utrum autem servus efficeretur ex addictione, an adiudicati loco constitueretur, veteres quaerebant.*

66) Cic. de rep. 2, 36, 61. de leg. 3, 4, 11. 3, 19, 44. pro Sest. 30, 65. Plaut. Pseud. 1232. Huc refero, quod Pomponius in Dig. 1, 2, 2, 16 dicit: *Lege* (Valeriam significat) *lata factum est, ut ab iis provocatio esset, neve possent in caput civis Romani animadvertere iniussu populi,* quibus verbis vim ipsius legis minus accurate, eventum legis prorsus recte descripsit.

si eiusmodi de tergo civium antea populi iudicia fuissent, sine dubio in lege illa futurum fuit *de tergo et de capite.* Magistratuum ius de tergo civium non eodem modo ac ius de capite civium imminutum fuisse, vel id probat, quod ostentandi imperii consulum provocatione imminuti causa non *fascibus et securibus* lictores privati, sed *secures* solae ex fascibus demptae, *fasces* autem demissi tantummodo sunt, idque non singulis civibus sed coram populo universo [67]).

Postquam vero lege Valeria altera de provocatione plebiscitoque Duilio (Liv. 3, 55) ius provocationis melius quam antea sanctum est, ob easdem causas ne tum quidem iudicia populi de tergo civium orta sunt, quamquam leges XII tabularum *ab omni iudicio poenaque provocationem esse compluribus legibus indicarunt* (Cic. de rep. 2, 31, 54), et leges Aternia Tarpeia, Menenia Sextia, Iulia Papiria provocationem adversus multas a magistratibus dictas dederant et confirmaverant [68]). Nam etiam post ea tempora magistratus cives non oboedientes aut non caedebant virgis, aut si cecidissent, non provocabant verberati ab eis, sed nihil supererat, nisi ut ipsis magistratibus dies a tribunis plebis ad populum diceretur [69]). Haud sane falsa narravit Sallustius, cum dixit (51, 39): *Sed eodem illo tempore verberibus animadvortebant in civis* [70]). Eaque ipsa causa, quod *plus paucorum opes, quam libertas populi* potuit (Liv. 10, 9), effecit, ut, quoniam ipsi nobiles inter se de libertate populo danda dissentirent [71]), lex de provocatione tertio renovanda esset.

Post legem autem Valeriam tertiam, quamquam potestas populi lege Hortensia et lege Maenia ad summum fastigium provecta est, libertas tamen plebis eo minus adversus opes nobilium poterat, quo maior concordia ex eo tempore usque ad belli Punici secundi finem et nobilium inter se et tribunorum plebis — si C. Flaminium paucosque alios exceperis — cum nobilitate fuit. Accedit quod etiam tunc leges valebant, quibus poena verberum sancta erat [72]). Dubitari igitur non potest, quin etiam post legem Valeriam tertiam cives haud raro virgis caesi sint, cum vel post

67) Cic. de rep. 2, 31, 55. Liv. 2, 7. 3, 36. Dion. 5, 19. 5, 75. 10, 59. Plut. Popl. 10. Dio Cass. fr. Vat. 10.

68) Lange, *Römische Alterthümer*, Vol. I. p. 455 sqq.

69) Liv. 7, 4. *Dies Manlio dicitur a M. Pomponio tribuno plebis. Acerbitas in dilectu non damno modo civium sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis caesis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis, invisa erat.*

70) Cf. quae consul de dedendis tribunis plebis ex foedere Caudino dicit Liv. 9, 9. *Dedetis deinde et istos sacrosanctos, cum primum magistratu abierint, sed, si me audiatis, priusquam dedantur, hic in comitio virgis caesos, hanc iam ut intercalatae poenae usuram habeant.* Ex quibus apparet, quam non pensi habuerint nobiles certe multi eo castigationis genere uti.

71) Cic. de or. 2, 48, 199 in not. 40.

72) Fest. p. 234. *Nam complures leges sunt in cives rogatae, quibus sanciebatur poena verberum.* De quo loco in altera commentationis parte accuratius disseram.

leges Porcias latas hoc superbia magistratuum in humilioribus civibus nonnunquam factum esse sciamus [73]. Leges igitur Valeriae quamquam sanxerant, *ne quis adversus provocationem civem Romanum verberaret*, non effecerant, ut *terga civium* a lictorum virgis libera essent.

Mortis poena contra non tam ipsis legibus Valeriis, quam humanitate, qua populus Romanus iam antiquitus iudicia populi conformata esse voluit [74], liberati cives fuerant. Pauca sunt exempla eorum, qui a populo condemnati eidemque interfecti sunt [75]; plerisque ex antiquissimis temporibus exilium permissum est [76], neque quicquam obstat, quo minus hoc iam multis annis ante legem Semproniam *aliis legibus* (Sall. Cat. 51, 22. 40) institutum esse arbitremur [77]. Etiam ei, qui a quaestionibus extraordinariis provocatione sublata condemnati sunt, plerumque non videntur esse interfecti [78]. Qui autem interfecti sunt, non virgis caesi et securi percussi, sed alio modo interfecti sunt [79]. Unus pontifex maximus, qui legibus Valeriis de magistratuum iure latis in puniendis eis sacerdotibus, qui in eius potestate erant, et eis civibus, qui cum virginibus Vestalibus stuprum fecissent, non tenebatur, ius verberibus necandi non solum habuisse [80], sed etiam exercuisse interdum videtur [81].

73) Cic. act. II. in Verr. 1, 47, 121 de Verre praetore urbano haec habet: *In plebem vero Romanam utrum superbiam prius commemorem an crudelitatem? Sine dubio crudelitas gravior est atque atrocior. Oblitosne igitur hos putatis esse, quem ad modum sit iste solitus virgis plebem Romanam concidere? Quam rem etiam tribunus plebis in contione egit, cum eum, quem iste virgis ceciderat, in conspectum populi Romani produxisset.*

74) Cic. de dom. 17, 45. Dion. 8, 80. Schol. Bob. 337. Varr. de ling. lat. 6, 90 sqq.

75) Noti sunt soli Spurius Cassius Viscellinus a. 268. u. c. (Lange l. c. I. p. 448) et M. Manlius Capitolinus a. 371. u. c. (v. supra not. 32), et is, de quo Plut. C. Gr. 3 narravit.

76) Cf. Liv. 2, 35. 3, 13. 15. 18. 29. 58. 4, 15. 25, 4. Dion. 10, 41. 42. 11, 46.

77) Cf. Gell. 20, 1, 53.

78) Liv. 4, 50. 51. *Qui summa moderatione ac lenitate per paucorum supplicium, quos sibimet ipsos conscisse mortem satis creditum est, transacta re, nequivere tamen consequi, ut non aegerrime id plebs ferret.* Singularis fuit crudelitas rogationis Flaviae a. 431. u. c., quae Tusculanos, si condemnati essent, verberatos necari voluit (Liv. 8, 37).

79) Val. Max. 6, 1, 10. Liv. 39, 18. 34, 44. App. Hann. 55. Vitruvii Vacci Privernatis exemplum verberibus necati (v. Liv. 8, 19. 20.) non magis quam Frusinatium (Liv. 10, 1) obstat eis, quae de supplicio civium Romanorum statuimus.

80) Fest. p. 241 M. *Probrum virginis Vestalis ut capite puniretur, vir, qui eam incestavisset, verberibus necaretur: lex fixa in atrio Libertatis cum multis aliis legibus incendio consumpta est, ut ait M. Cato in ea oratione, quae de auguribus inscribitur.* Zon. 7, 8. Οἱ δὲ ταύτας αἰσχύνοντες εἰς ξύλον τὸν αὐχένα δίκρουν ἐμβάλλονται ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ μετὰ τοῦτο γυμνοὶ αἰκιζόμενοι ἀποψύχουσιν. Cf. Paul. 106. *Ignis Vestae si quando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur a pontifice.* Dion. 2, 67. 3, 67.

81) Dion. 8, 89. Δύο δὲ τοὺς ἐξελεγχθέντας διαπράξασθαι τὴν φθοράν, μαστιγώσαντες ἐν φανερῷ, ἀπέκτειναν. 9, 40. Τῶν δὲ διαπραξαμένων τὴν ἀνοσίαν φθορὰν ὁ μὲν ἕτερος ἑαυτὸν διεχρήσατο, τὸν δ' ἕτερον οἱ τῶν ἱερῶν ἐπίσκοποι συλλαβόντες ἐν ἀγορᾷ μάστιξιν αἰκισάμενοι, καθάπερ ἀνδρά-

Quae cum ita sint, *pro capite* civium Romanorum lex Porcia non multum profuit, cum speciem illam summi supplicii sustulit, quae post supplicium anno u. c. 371. de M. Manlio sumptum dudum in desuetudinem abierat, summum supplicium ipsum non sustulit. *Pro tergo* autem plurimum profuit ea ipsa re, quod non *si quis adversus provocationem,* sed *si quis omnino civem Romanum,* sive provocaret sive non provocaret, verberasset, gravi poena sanxit. Summo igitur iure vulgi opinione *pro tergo civium* lata esse credebatur, quamquam non solum *pro tergo,* sed quodammodo etiam *pro capite* latam esse doctiores non ignorabant.

De tempore et auctoribus legum Porciarum in altera commentationis parte disputare constitui. Qua si demonstravero M. Porcio Catoni praetori anni 556. u. c. primam, P. Porcio Laecae praetori anni 559. u. c. alteram, L. Porcio Licino consuli anni 570. u. c. tertiam cum probabilitate satis magna tribui posse, spero fore, ut et legis primae et legis secundae argumentum accuratius etiam, quam adhuc factum est, describi possit.

ποδον, ἀπέκτειναν. Cuius moris exemplum belli Punici secundi tempore invenitur apud Liv. 22, 57. *L. Cantilius scriba pontificis, quos nunc minores pontifices appellant, qui cum Floronia stuprum fecerat, a pontifice maximo eo usque virgis in comitio caesus erat, ut inter verbera expiraret.*